DE

PRAECAVENDA PERINAEI RVPTVRA IN PARTV DISSERTATIO

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REI.
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
PRO VENIA LEGENDI RITE IMPETRANDA PVBLICE DEFENDET
A. D. XVIII. MARTII CIↃIↃCCLXXXXVII.

GABR. IONATH. SCHLEVSNER
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTOR
SOCIETAT PHYS. ET MEDIC. PRACT. IENENS. SOCIVS
RESPONDENTE
MICHAELE STEPHAN.
PHILOS. D. BADENSI.

IENAE
TYPIS FIEDLERI.

Quamuis artis medicae practicae finis eo praecipue ſpectet, ut morbi tollantur, et medicus partes ſuas peregiſſe videatur, ſi omnia fecit ut homo reconvaleſceret, tamen id quod alterum caput rei noſtrae efficit, tutelam nempe et conſervationem ſani corporis, ne omittamus et negligamus ratio iubet: inuiti etiam huc trahimur et totum animum perueſtigatione cauſarum et disquiſitione ſymptomatum in tractandis morbis eo intendimus. Arduam autem hanc rem eſſe, maximis diffi-

cultatibus obnoxiam, experientia docet, et nos feliciori ſucceſſu in morbis ſanandis quam in ſanitate tuenda frui, inter omnes conſtat. Quam mirum diſcrimen, cum fons et conditio tam Phyſiologiae quam Pathologiae et regularum empiricarum tam diaeteticarum quam therapeuticarum unam eandemque originem habeant, nec dici queat fines Pathologiae, Phyſiologiae finibus ampliores factos vel felicius excultos eſſe, aut, quod idem eſt, naturam morboſam hominis ſana conſtitutione clarius innotuiſſe, nec ego auſim exponere. An hoc ſit, quod machina morboſa in ſtatu perturbato quoduis remedium in utilitatem ſuam vertat et propenſior ſit ad quamlibet commutationem in auxilium vocandam; an hoc, quod morboſae naturae phaenomena magis in ſenſus cadant, an hoc, quod ſtatum morboſum pluribus ſub ſpeciebus variisque ſub imaginibus apparentem animo noſtro varie intueri poſſimus, ſanitatem autem uno omnino modo, una tantum for-

mula

mula cognoſcere liceat; in illis itaque analogiae et pleniori inductioni amplior locus ſit; an denique quod in ſtatu morboſo ſemper certum atque fixum quemdam ſtatum coram habeamus, cum e contra ubi de ſanitate tuenda ſermo erit, inter caſus qui accidere poſſint propinquiorem et veroſimiliorem eligere non valeamus.

Attamen medico naturae ſcrutatori occaſio ſat ampla ad munus ſuum rite peragendum et hic patet, cum res plurimas, quae nos circumdant aut in nobis ipſis habitant, ut morborum cauſas cognoſcamus, de quibus experientia nos edocti ſumus, alias per ſe nocere, alias autem connexione quadam certisque poſitis conditionibus; cum porro quotidie in naturae ſcientiis progrediamur et tali modo, ſi non ponendo tamen remouendo leges quasdam de ſanitate tuenda praedicere et conſtituere poſſimus. Quo maior igitur eſt numerus factorum in medico collectus, quo

magis concatenationem caufarum effectuumve et fymptomatum perpendere valet, eo magis gaudebit fucceffu, fiue de fanitate tuenda fiue de morbo curando agatur. Nam et in hocce cafu ftudium omne bonus medicus in eo collocare debet, ut viam quam morbus percurrere confueuit, praeuideat et praeparet. Ille femper regulam practicam: *caueas, ne noceas, fi prodeffe nequis* fummo cum fructu ante oculos habebit.

Vt autem cuilibet practico haecce aurea regula in mente repofita manere debet, ita inprimis viro obftetrici non licet ab illa recedere, cum faepiffime in hocce negotio optime rei confulamus, nihil agendo.

Partus vero naturalis quem nominare folent, quamuis ut factum mere phyfiologicum confiderari poffit, cum natura faeminae ita comparata fit, ut concipere, partum edere et foetum et infantem recens na-

natum usque ad certum terminum alere valeat, cum naturae ſolis viribus omnia in hoc actu relinquere poſſimus — ſpectaculum tamen offert, quod non ſolum adſtantes ad auxilium ferendum excitat, ſed etiam medico practico occaſiones malorum et morborum e propinquo monſtrat, quas ut praecludat neceſſe eſt.

In his quoque eſt tenſio ſic dicti perinaei et praecautio ne illud ruptum eat. Non mirabuntur artis periti hac in materia ſaepius pertractata, denuo aliquem verſari, cum ſciant quam diuerſis ex partibus et ſimpliciſſimum adminiculum ferendum conſiderari debeat, in quo et minutiſſima obſeruatu nec indigna nec contemnenda ſunt.

Accidit itaque, quod omnibus notum, ut in partu naturali vel tranſitu capitis vel humerorum perinaeum ſeu interfoemineum vel pro parte tantummodo vel usque

ad inteſtinum rectum, vel ſolummodo frenulum vaginae quod dicitur dilaceretur. Malum ſemper grauius, quo magis vulnus ſe extendat; curatio ſemper dubia, imo quandoque artem ſuperans; ſemper pro grauitate vulneris origo multorum morborum, diſcordiaeque et rixarum in matrimonio ſaepius cauſa.

Labori, cauſas ſanationis difficilioris hic addendi, vel morbos hoc ex malo orientes enumerandi, ſuperſedere queo, cum intuitus anatomicus ſufficiat ad judicium accurate hac de re ferendum. Quoniam vero ex ſtructura partis manuale quod in partu applicari poteſt ſolummodo hauriendum eſt; non ſupervacaneum duco breuiſſimis deſcriptionem anatomicam perinaei vel interfoeminei enarrare.

Conficitur autem caro perinaei variis muſculis.

Transuersi perinaei superficiales ab exteriori ſuperficie partis anterioris tuberoſitatum oſſium iſchii vel coxendicis fibris breuioribus tendineis orti, curſus ſuos introrſum dirigunt in conſtrictores vaginae fibris carneis excurrunt ſphincterique ani externo intexuntur.

Alteri transverſi profundi dicti qui non ſemper adſunt, prioribus altiores a parte interna ubi rami aſcendentes oſſium iſchii et descendentes oſſium pubis iunguntur origines trahunt, introrſum quoque diriguntur, poſtremum lateralibus partibus vaginae inhaerent.

Ani ſphincter externus integumentis quaſi inuolutus exitum inteſtini recti, annuli inſtar circumdat, ita tamen, ut ejus anterior pars, quam in transverſos perinaei intextam vidimus et cuius lacinia anterior in conſtrictorem oſtii vaginae acute deſinit, parte poſteriori oſſi coccygis ten-

dinose adhaerens latior appareat et perinaei totam latitudinem compleat.

Alter sphincter internus fibris orbicularibus intestinum rectum arte circumcludentibus aliquem nexum cum externo sphinctere habet.

Levatores ani porro maximam partem perinaei efformantes, carneis fibris a parte inferiori synchondroseos ossium pubis, exiguis autem tendineis fibris a superficie interna ramorum descendentium ossium pubis, iuxta foramen obturatorium, ab ossibus ischii earumque spinis carnose procedunt retrorsum radiatim ad anum pergentes illumque ab anteriori parte circumdantes tandem ossi coccygis eiusque marginibus, corporique ipsi inhaerent. In descensu arcte connectuntur cum vagina, et obturatorium internum obducunt.

Coccygei denique fibris exiguis tendineis a ſpina oſſium iſchii veniunt, et iuxta leuatores ani in marginibus oſſis coccygis et inferiori parte oſſis ſacri excurrunt.

Curvatorem poſtremum *coccygis* ab inferiori parte oſſis ſacri ortum et ad ultimam partem oſſis coccygis progredientem illamque obtegentem nominaſſe ſufficit.

Hi muſculi integumentis obuoluti, tela cellulosa et adipe multa firmati ac ſtipati, cum pluribus peluis muſculis connexi, vaſis ſanguiferis multis, arteriolis nempe quae ex pudenda communi, ex iſchiadica, ex haemorrhoidalibus naſcuntur, venis has comitantibus, neruis autem ex plexu hypogaſtrico prodeuntibus et ſacralibus, qui cum ſympathico congruunt ganglion notatu dignum coccygeum conſtituentibus, vaſis lymphaticis denique in glandulas peluis abeuntibus, abundant, et tali modo pe-

rinaeum vel interſtitium a vaginae parte poſteriori incipiens, ubi duplicatio integumentorum et contiguitas labiorum pudendorum externorum frenulum ſic dictum efficit, usque ad inteſtini recti parietem anteriorem excurrens effingunt.

Muſculos autem hactenus deſcriptos non ſemper tales et hoc ſolum modo adeſſe partibusque vicinis inhaerere, ſed potius ab hocce tramite ſaepius abire, monere oportet. Quo facto ergo evenit, ut e. g. unus alterue transuerſorum perinaei deficiat, aut ſphincter ani externus leuatori ani ita ſe immiſceat extremaque eorum ita collidantur vel confundantur, ut unum ab altero diſcernere et ſeparare non poſſimus. Sic etiam leuatores ani interdum iuſto minores apparent; quia ſaepius illa portio quae ab arcu oſſium pubis ſolet prodire, deeſt, coccygeos autem vel duplices adeſſe aut cum leuatore ani unam

tan-

tantum partem arcte cohaerentem constituere posse, experientia satis edocti sumus.

Varietates haecce autem, nisi defectus modum excedat, non impediunt, quo minus actiones musculares huius partis rite fieri queant: intestini itaque recti compressio, et contractio eiusque et perinaei retractio et eleuatio in sublime, retentio intestini recti et ossis coccygis, contractio denique vaginae et urinae expulsio musculis vicinis in auxilium vocatis peragatur.

Rei fortasse conducit adhuc obseruare, musculos hosce antagonistis sic dictis non gaudere, omnes fere porro aut cum fibris tendineis oriri aut in eos desinere: nam quae de tendinum utilitate et efficacia cognita sunt, hisce et illam adnumerandam esse existimo, quod tendines illis musculis antagonistis carentibus et ideo donatae sint, ne eorum vis muscularis nimis breui tempore

pore exhauriatur, tendines itaque ligamentorum elasticorum more operentur et contractionem musculorum subsiliendo suffulcire possint. Praecipue hoc necesse erit, ubi constans et perpetua aliqua vis per aliquod tempus musculos ad contrariam actionem cogit. *) Nec immemores denique esse debemus, quod hancce actionem muscularem perinaei ligamenta tuberoso — et spinoso — sacra productioque falciformis ligamenti tuberoso — sacri musculis, praecipue leuatoribus ani contermina firment et vires labefactas augeant. Postremum deinde et ad integumentorum externam speciem et implicatam eorum structuram in ῥαφῃ sic dicta terminantium, qua fit ut perinaeum mirum in modum extendi possit, ad connexionem tandem et contiguitatem vicinis cum partibus attendamus, quae

*) C f. Illustr. *Reil* Archiv für die Physiologie 2r B. 2s H.

quae talis eſt, ut mutuo auxilio ſibi inuicem eſſe poſſint.

Quum autem nunc cognoſcamus, qualis ſit perinaei actio et ſtructura in genere, etiam luculenter apparet, in partu, uti et in exoneratione alui hanc actionem maxima ex parte deficere et ſolummodo niſum denuo ſe contrahendi perinaeo remanere, quod itaque illud et in tantum acturum eſt, quantum reſiſtere conatur. Subinde extenditur et extenuatur perinaeum, ita, ut in fine partus, chartae papyraceae ſimile videri poſſit, nixu illo quo maxima vi in peluim urgentur viſcera, diuturna inſpiratione et diaphragmatis majori deſcenſu preſſionem abdominis incredibilem efficit et muſculorum abdominis contractione ventrem coarctat. Dici poſſit perinaeum hoc in actu niſi eius uſus reliquus euidens eſſet, tantum adeſſe, ut ille nixus locum firmum habeat, contra quem agere vires-que ſuas exercere ipſi liceat. Natura ergo

ni

nihil aliud voluit, quam nixu ſenſim extendere interfoemineum ne ſubita vi in illud irruente rumperetur, vires potius muſculares huius partis neceſſariae conſervarentur.

Regulae itaque quas ſequi oportet, ſi auxilium ad partum leuandum et perinaeum cuſtodiendum in ultimo praecipue tempore ferre volumus, non aliunde niſi in comparatione partium quaerendae ſunt, cum impedire nullo modo poſſis extenuationem perinaei eiusque debilitationem. Non longa demonſtratione eget haecce res. Indicationes vero hic ſpectantes ad tres reſtringendas eſſe puto.

1. *Caveas ne rumpatur perinaeum deficiente materie.*

2. *Caueas ne illud rumpatur deficiente fultura.*

3. *Caueas ne puerpera in ultimo ſtadio ad partum ſuis moliminibus accelerandum incongrue ſollicitata, perinaeum nimis urgeat.*

Uti iam a natura cautum eſt, ne vel una vel altera ex cauſa rumpatur interfoemineum cum in tenſione ipſius partes adiacentes, praecipue ſi labia pudendorum ſpectes, ita conſtitutae ſint ut ad dilatationem antri vaginae concurrant, adhaeſiones tendineae et ligamenta ſupra nominata autem partem ſuffulciant ita et vir obſtetrix ubi de ope ferenda hoc in actu agitur, huc ſpectare debet.

Quamuis autem omnes fortaſſe de re obſtetricia auctores ab hocce principio progreſſos eſſe exiſtimem, etiam ſi nullus eorum elaris verbis ita ſe expreſſit, tamen monendum eſt, plures in auxilio ferendo conſilia dediſſe, quae illi prorſus contraria ſunt et quae paucis perluſtrare, rei ratio ſuadet. Vbi autem nonnullorum auctorum

rum

rum ſententias commendatas in examen voco, ne credas, hocce eum in finem fieri ut malim vituperare vel viris magni nominis aliquid derogare, ſed potius, ut rei varias rationes et conditiones inquiramus et cognoſcamus.

Quas celeberr. *Stein* in libro ſuo egregio (theoretiſche Anleitung zur Geburtshülfe §. 623) expoſuit indicationes generaliores in ultimo tempore partus ſequendas, 1. nempe: parcere externis partibus, perinaeum tam tenſum, proſiliens et quam maxime extenuatum emollire, laeuigare illudque et partes vicinas commodo aptoque modo amplificare; 2. partes hasce tam extenuatas quo fieri poteſt modo fortiores reddere et fultura vires augere; 3 tandem caput infantis ea ratione quam natura ipſa ſequitur ex partibus puerperae educere, qua tales omnino reputare non poſſumus, cum in eis ſpecialia auxilea traduntur quae ex rei natura non profluunt

fluunt et ipſo uſu adhiberi non poſſunt. Videamus igitur quomodo auctor illis ſatisfacere conetur.

Iubet ille, quoad primam indicationem, unguentis partes hasce interne et externe lubricare, pudendorum labia externa ut et perinaeum ipſum in interuallo temporis ubi dolores non premunt (§. 625) amplificare, et retrorſum agere. Quod ad ſecundam indicationem autem pertinet Smellii et Celeberr. Plenkii methodum ſequi ſuadet, palmam nempe manus extenuato perinaeo imponere et inter dolores iteratis vicibus retrorſum motitare, ita ut caput permeans in ſublime tollere et ſuffulcire poſſis, doloribus autem repugnare videaris. Porro tandem ut tertiae indicationi occurrat, iubet digitos aliquot furſum curvatos in vaginam inſerere et caput ſupra digitos tali modo impoſitum ſinere exire, vetans tamen digitis hamuli inſtar uti et perinaeum vi retropellere. Digitos autem

in hocce adiutorio tum applicandos esse, ubi dolores quiescant, denique monet.

Contra haec consilia autem sequentia monere debemus.

Etsi possit concedi, id quod plurima exempla aliis in casibus docent, partes unguentis emolliri, et ad extenuationem quodammodo aptiores reddi posse, tamen in eo tempore partus, de quo sermo est, ubi transitus capitis foetus instat, nisi antea jam fuerint applicata nullum auxilium ab illis expectandum foret. Amplificationem autem et retroactionem perinaei manibus vel digitis perficere, consilii non est, quia hac iterata operatione — et iterare illam debes, si ad propositum pervenire velis — partes irritantur et contrarium facile euenire potest. Retroactionem superfluam esse, per se patet, quia capite perinaeum nondum arcte premente, perinaeum naturae viribus

non

non retrahi, ſed amplius ad amplificandum vaginae antrum proſilire ut ſat materiei ſuppeditet videmus, ſemperque ideo manu amota denuo proſilire cupiet. Hocce auxilio autem uti, ubi caput perinaeum iam urget contra naturam quoque eſt, quia ab illa ut ita dicam iam proſpectum eſt ut caput perinaeum tranſeat. Videbimus deinceps hocce auxilium ipſius auctoris theoriae planc contradicere. Dum autem porro ſuadet, capite perinaeum premente, hoc iteratis vicibus retrorſum motitare, non cogitat, quod talia peragens, ipſi perinaeo non ſolum fulturam adimat, ſed hacce retroactione perinaei naturalem functionem, ubi neceſſe non eſt, mutet, aperturam denique vaginae quam infans tandem permeare debet, illa praecipue in parte materie priuet, in qua ſane ſuperflua capite premente non adeſt, cum contra ſi perinaeum loco congruo ſuffulcis, imo labiis pudendorum propius admoues, haec tam interna quam externa interfoemines

 mul-

multo dilatabiliora ad auxilium vocare potes ad amplificanduum osti vaginae. Persuasum autem auctor ipse sibi habet *) ca-

*) Ej. theoret. Anleit. §. 579. Man siehet jezt offenbar, dass der nunmehr bereits zum Theil geborne hintere Theil des Kopfes unter dem Schoosbogen als an einem Hypomochlio, nunmehr fast unbeweglich stehen bleibt, während dass der vordere Theil des Kopfs durch die stärkste Kraft der sich zusammenziehenden Gebärmutter unter den sogenannten durchschneidenden Weben sich gleichsam um seine Transuersalaxe drehet, und nach der Richtung der Centrallinie der Mutterscheide, in einer halben Zirkelwendung mit dem Gesichte voran vollends geboren wird und der letzten Zeit ein Ende macht. Et §. 581. Solchergestalt entwickelt sich der grosse Druchmesser des Kopfs fast in so viele mittlere, kleinere und schiefe Durchmesser als sich Puncte auf der Fläche desselben gedenken lassen.

caput infantis alio modo non transire posse, nisi perinaeum petat, tamen, ut tertiae indicationi satisfaciat, non sinere vult, perinaeum hocce munere, suo more perfungi, iubens potius, digitos perinaei formam quasi effingentes, in vaginam immitti, quo facto, non solum perinaeum a functione sua amoueret, sed etiam antrum vaginae coarctare, ubi ex retroactione, perinaei ruptura immineret. Qnid? nec relaxari perinaeum tali modo, nec onus illi auferri putes, vel digitis ita applicatis imponi iubere poteris, nixus enim semper in perinaeum agere perget ejusque extenuationen perficiet, rupturam itaque perinaei talibus artibus, minime vitare potes.

Alii hac de re scriptores solummodo ad tuendum perinaeum in partu commendant, panno linteo ad compressionem commode faciendam rite plicato unguento oleoso illito manuique imposito perinaeum retrorsum urgere, caput irruens in sublime

tollere. Sie volunt *Smellie*, *) Celebrr. *Plenk* **) *Stzidele*, ***) *Obermayr* ***) et alii.

Quae autem ex hisce consiliis auxilia petenda sint vel non, ex antea dictis iam patet. Cauendum tamen semper esse ne capitis pressio in sublime iusto maior sit, si perinaei tutelam solummodo spectes monerem, inprimis, quum ex illa ad caput promouendum auxilium fere nullum expectare possis.

Celebrr. C. L. *Hoffmann* vel *Hagen*, iubet digitos duos in intestinum rectum immi-

*) V. Ej. Treatise on the Theory and Practice of Midwifery. Lond. 1766 p.

**) In Ej. Anfangsgründe der Geburtshülfe S. 113.

***) Ej. Lehrbuch von der Hebammenkunst S. 120.

****) Ej. Ausführlicher Unterricht in der Entbindungsknnst. S. 129.

immitti et illud ut perinaeo parceretur, in ſublime tolliri et ſupra caput remoueri.

Hocce autem auxilium, etſi a perinaei forma, ſtructura atque actione recedas, inutile, ſuperfluum, imo quandoque noxium fore, inde concludere poſſis, quod retroagendo, perinaeum ſat tenſum magis adhuc extenditur, quod porro in partus tempore ultimo inteſtinum rectum nec in ſublime tollere nec ex ſitu ſuo torquere potes, quod denique haecce pars per ſe multa jam ſenſibilitate praedita nixu irritata adhuc digitis tali modo admotis magis irritatur et ad morbos propenſior fit.

Puzos *) *Osborne* **) *Baudelocque* ***)

 me-

*) Traité des accouchemens Par. 1759.

**) Eſſay on laborious parturition etc. Lond. 1783.

***) Anleitung zur Entbindungskunſt. Leipzig 1917 Erſt. B. 2te Ausg. S. 428.

Meckel *) et *Ficker* **) illi ſunt, qui meliorem rationem hujus auxilii ferendi in tuendo perinaeo docuerunt. Simpliciter enim commendant, naturam indicem ſequentes, perinaeum, partesque vicinas relaxare, et manu firmiter admota, robur illis addere, capitis autem in ultimo temporis puncto tranſitum morari, ita ut occiput, ad arcum oſſium pubis ſitum in illo arcte vinculari videatur. Praecipue autem Celeber. *Oſiander* clare et ſine ambagibus uti res poſcit, hocce manuale expoſuit ***) Primus ille obſeruauit melius applicari auxilium ubi, dum extenuatur perinaeum lucrari conamur ex partibus illi adiacentibus, quam, ſi retroagendo materiem minuimus, quae ad exitum amplificandum neceſſaria eſt.

At-

*) In annotation. ad Baudelocque loc. cit.

**) Beyträge zur Arzneywiſſenſchaft, Wundarzney und Entbindungskunſt. Münſter 1796. Erſtes Heft. S. 45.

***) V. Lehrbuch der Hebammenkunſt. S. 378 etc.

Attamen, omnia haecce confilia inutilia forent, fi caput impetu petat exitum. Tum enim perinaeum non extenuatur fenfim fenfimque, fed repente urgetur et fruftra manu etiam rite admota valide refiftere conaremur. Quare ut tertiae indicationi fatisfaciamus, neceffe eft. Peffime ideo illi rei confulunt, qui parientem in hocce ftadio ad labores follicitare eamque ut fuis moliminibus partum acceleret, exhortari vellent.

Quae denique autem fit mea fententia ex praecedentibus fatis patet. Licebit huic addere aliquas obferuationes quae nifi nouitate et grauitate fe commendent tamen in tantum aliquod pretium habent quantum experientia nituntur.

I. Etfi enim primae indicationi fatisfacere velis, perinaeo cum partibus vicinis relaxando, tamen obfervabis, exfequendo huicce confilio, fedilia (*Geburtsftühle*) quibus

quibus obſtetrices utuntur ſaepenumero ſe opponere. Nam quantamcunque utilitatem praebere poſſint, praecipue ſi commoditatem obſtetricis et leuamen in auxilio quouis ferendo reſpicis; tamen ſi parientes ſpectas, ea non ſolum ſaepiſſime inter res neceſſarias non pertinere, ſed ſaepius nocere, et rupturum perinaei accerſere, animaduertes. Non in eo morari velim, quod difficile ſit aptare ſedile ad quem libet ſitum neceſſarium parientis, nec, quod obſtetrices, regulas ipſis inculcatas ſtrenue ſequentes, parienti incommodum ſaepe afferant, ſed unum hoc notare velim, quod obſtetrices ad formam vel magnitudinem parientium non attendentes, ſedili ſuo omnes aeque imponant, pedesque tam late ſecungant, quam neceſſe eſt ut eis ligna lateralia ad eos ſuffulciendos apta attingere, ipſaeque autem commode intra pedes ſidere poſſint. Omnia fere ſedilia, quantum ego ſcionimis iamiam lata ſunt, inciſura cui nates inſident nimis ampla,

quo

quo ſit, ut ſi pariens paulo minor ſit, nates inter labores et molimina in ſedilis inciſuram intrudantur, materies itaque ad relaxandum et extenuandum perinaeum minuatur; cui accedit, quod hic defectus in hocce caſu ſemper augeatur, cum ex eadem cauſa et pedes iuſto magis diſiungi debeant. Operae pretium itaque eſſet experientia edoceri annon ſitus lateralis aut dorſalis ſuper cubili ad huncce actum apto quo e. g. Angli utuntur et quod ſimiliter Viennae in noſocomio magno adhibetur illo ſitu in ſedilibus in maxima Germaniae parte recepto ad cavendam perinaei rupturam utilior et univerſe opportunior eſſet. Non de commoditate obſtetricum hic ſermo eſſe poteſt, ubi de praecauendo damno et detrimento puerperarum agitur. Certe inutile non foret, ſi ſedilia ita exſtructa eſſent ut coarctari poſſint aut ſi obſtetrix plura ligna ſeſſoria diuerſimode inciſa haberet.

II. Optime quidem consulitur rei si in suffulciendo perinaeo illud non retroagamus, potius videamus, ut illud labiis pudendorum propius admoveamus. Aeque pressio aliqua in sublime ubi caput perinaeum premit, fieri potest, non, quod hocce manuale aliquid conferat ad exitum capitis, cui natura ipsa viam praemonstrat, sed ne caput repente irruat et perinaeum diffindat. Magis porro consilii esse puto, hanc fulturam manu sola suppeditare quam linteolo illi imposito, quoniam tactus manus nudae tutior est, pressio itaque necessaria accuratior institui potest. Si autem linteolum inservire dicitur, ad manum aequandam aut explendas manus inaequalitates, animaduertere debemus, hoc illo modo frustra tentari, quia linteolum manui ubique se insinuat et cedit.

III. Notatu dignum quod frenulum perinaei transitu capitis adhuc illaesum in egressu humerorum saepius diffindatur.

Sed

Sed hic ſubſiſtimus. Auxilium hoc in ultimo caſu et alibi ubi pelui vel partibus vicinis málè conformatis alii alia ſuaſerunt ferendum, diiudicandi occaſionem commodiorem mihi propoſui.
